

*DISSE*RATATIO ACADEMICA

DE

*PARODIA,*

CUJUS

PARTEM PRIOREM,

*Venia Ampl. Facult. Philos. Aboëns.*

P R A E S I D E

*JOH. FREDR. WALLENIO,*

*Eloqu. Prof. Reg. & Ord. Regg. Societt. Patriot.  
Holm, Oecon, Fenn. & Oecon. Wermel. Membro,*

PRO·GRADU

*Ventilandam sifit*

*ANDREAS JOACHIMUS STRENG,*

*Stip. Reg. Tavastensis.*

In Aud. Physico die IV Mart. MDCCCVII.

H. a. m. c.

*ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.*

IN  
SACRAM REGIAM MAJESTATEM

MAGNÆ FIDEI VIRO,

DIOECESOS BORGOËNSIS

EPISCOPO REVERENDISSIMO,

REGII ORDINIS DE STELLA POLARI

COMMENDATORI SPLENDIDISSIMO,

S. S. THEOLOG. DOCTORI CELEBERRIMO,

DOMINO

ZACHARIAE CYGNÆO

*Sacrum*

*Voluit, debuit,*

REVERENDISSIMI NOMINIS

*Cultor humillimus*

AND. JOACH. STRENG,



*Nec desiles imitator in arclum.*

HORAT.

**U**t ad virtutes laudesque aliorum imitandas;  
ita ad effingendas voce, verbis, vultu, gestibus  
aliave ratione pravitates eorumdem ac defor-  
mitates, primum nullo tempore fuit genus  
humanum. In his vero quam in illis facilius visum  
negotium plures fere effecit pravi quam pulcri  
imitatores. Non istas jam loquimur morum labes,  
perniciosa quidem contagione late serpentes, sed  
assumptas libentius quam simulatas, videntemque me-  
liora & probantein, sed deteriora sequentem, quod  
sæpe videmus, inficientes: estque nobis de illis po-  
tius, externis maxime, mendis sermo, quæ vel na-  
tivam deturpant humanæ formæ dignitatem, vel a  
politiorum hominum ac sana mente utentium judi-  
candi, agendi, loquendi vivendique consuetudine ita  
abhorrent, ut risu quam odio videantur digniora,  
quorumque ideo similitudinem non ferio imitandi  
proposito, sed alterius ludificandi gratia, exprimere  
conantur homines. Et in corporis quidem vitiis,

A

ut jocandi ridendique, CICERONE (a) judice, satis bellam (sed plerumque illiberalem), ita petulanter imitandi bene amplam, paratam sibi vident arripe reque avide solent homines aut ætate aut ratione infantes materiem. Quam artem, simiolis & infimi ordinis histriionibus dignam, sibi habeant isti: patientur a sanioribus contemni & repudiari, indignantibus nempe ea rideri, quæ absint a culpa & corrigi, quantumvis coneris, nequeant. Sunt vero in moribus opinionibusque non paucorum insulta multa atque ridicula, non illa quidem animadversio num severitate, sed honesti risus morsibus exagi tanda: qua in re certe non minus valet scita sub jectaque oculis perversitatis imitatio, ac pungens satiræ, quam non scribere difficile est interdum, acrimonia. Solent nimirum eadem, quæ est mortali um in se ipsos indulgentia, in aliis quam in nobis met videri fœdiora; in primis cum vix adeo fidelis unquam sit hæc imitatio, quin aliquid veritati vel studiose affingatur insignioris pravitatis (*caricature*), meliorum rerum temperamento non satis emollitæ. Quod si in Comœdia diligentius elaborata & terfa, illaque in primis, quam *characteristicam* (s. *ethologicam*) appellant, fieri quotidie videmus, quid in communi vita putabimus, ubi turpitudinis censuram amarulentam magis reddunt nonnunquam privatæ ini-

(a) De Orat. L. II. c. 59. l. 239. cfr. QUINTILIANI de In str. Orat. L. VI. c. 3 l. 37.

inimicitiae? At quemadmodum in illa, cuius mentionem injecimus, Comœdia, utpote cum actione conjuncta, non menti tantum sed & oculis spectanda exhibetur, si non universa, at extantior tamen quædam, vitæ morumque alienorum ratio: sic in verbis, scriptis potissimum, subjectoque iisdem sensu, perverso saltē atque inepto (nam pulcris pravam supponere & inculcare sententiam, quamvis non insolitum, incongruens est), ad majores etiam inflectendis ineptias vel acriori adspergēndis sale occupata fere *Parodia*, nihil in se habet Dramatici, nec oculorum proprie egens interventu, depictas sua arte tabulas menti proprius admovet. Cujus quidem artificii naturam & origines adumbrare (nam reliqua ad propositam materiam pertinentia alii retractanda relinquere & temporis & facultatum ratione cogimur) ingredientibus nobis, ut paucorum, quos promittere his nostris audemus, lectorum adfīt benignitas, verecunde contendimus.

---

Monuimus in Imitatione versari *Parodiam*, eaque non tam seria quam ludicra, perfectæque elegantiæ minus quam, ex voluntario sed in alterum rejecto vitio, risus quærente: a qua constituenda vocis notione neque abnuit Græca ejusdem origo. Cum enim soleat τὸ παρὰ in compositione sæpius inferre significationem immutationis a proba genuinaque rei ratione discordantis, & propterea vitio-

A 2 fæ,

fæ, jocularem s. comicam carminis inflexionem cogitare pronissimum erit. Sed juvabit ex ipsa veterum loquendi consuetudine vim vocis excusisse.

ARISTOTELES (a) igitur, de triplici imitatione loquens, meliorum, similium, pejorum, ad ultimum genus retulit Parodias, easque propterea Comœdiæ similes esse voluit, in qua ridiculi insit imitatio. Cum enim "omnis vituperatio, si gravius posita sit, severa, si levius, ridicula" fiat (b), hanc, non illam, primitus & proprie respexit videtur Parodia, aculeosque vibrasse non tam vulnerantes quam moleste pruriētes (c). His autem carere antiquitus vix unquam ausa, neque potuit in nuda, quantumvis urbana & lepida, sed omni acrioris salis irritamento easfa, alienorum versuum assumptione, atque ad alias res, plus minus similes aut oppositas, accommodatione consistere: quod ubi factum, aliis potius, quam Parodiæ, vocabulis, ut τοις ἀκολθωτικοῖς ποιεῖν (d),

λαμ-

---

a) Περὶ ποιητικῆς Cap. 2. Cfr. Cap. 5.

b) QUINTILIANUS I. c.

c) Cum tamen soleat risus, commoto ira animo, esse intemperantior, limites nunquam excedere & ab acerbitate omnino abstinere, difficile fuit. Festiviores ( $\piολλα\chi\alpha\gamma\epsilon\nu\tauα$ ) fuisse EUBOEI in hoc genere lusus, auctor est ATHENÆUS Deipnosoph. L. XV. c. 16.

d) ATHENÆUS L. VII, c. 13.

λαμβάνειν παρὰ (e), λέγειν τὸ ἐν (f), μεταφέρειν τὰ  
τὰ (g), προσφέρειν ἐκ (h), Φάναι ἐκ (i) & similibus,  
usi fuerunt antiquiores. Contra vero de TIMONE  
Phliasio DIOGENES LAËRTIUS (k), de HEGEMONE  
Thasio ATHENÆUS (l), ingessisse illum in Dogma-  
ticos omnes maledicta atque convicia, versus alio-  
rum imitando (ἐν παρωδίας ἔιδει), huncque callidum  
& vafrum fuisse histriōnem, recitandisque parodiis  
Athenienses impense adeo delectasē, ut effulssime  
riserint, memoriae prodiderant: unde patet, fuisse  
ambos hosce parodos non in propriis aliorum au-  
ctoritate firmandis opinionibus, sed in risu ciendo  
hominibusque sibi minus gratis mordaciori satirae li-  
xivio perfricandis, oceupatos. Et in plenisque fane  
veterum vel ad reprehensionem vel ad risum & jo-  
cum referri videoas, ut τὸ παρωδεῖν (m), ita synony-  
morum fere loco hinc illinc usurpata τὰ αὐτιγρά-  
φειν

e) Idem L. X. c. 1.

f) Idem L. IX. c. 18.

g) Idem L. VI. c. 18.

h) DIOGENES LAËRTIUS de vitis Philosophorum, L. IV. c.  
6. n. 3, in vita ARCESILAI.

i) Idem L. VII. c. 1. n. 26 in vita ZENONIS Cittiei.

k) L. IX. c. 12. n. 2.

l) L. IX. c. 17.

m) DIOGENES LAËRTIUS L. II. cap. 12 n. 6. c. 18 n. 3. L.  
IV. c. 7 n. 6. ATHENÆUS L. II. c. 13. L. IX. c. 17.

φειν (n), παραβιάζειν (o), μεταγράφειν (p), Φλυαρογράφειν (q), παραπίθεναι (r), παραποιεῖν (s), σκώπτειν, γελοιάζειν (t) aliaque.

At

L. XV. c. 16. Ad risum refert etiam QUINTILIANUS L. VI. c. 3 f. 97, cui facem prætulit CICERO de Orat. L. II. c. 64. f. 257.

- n) PLUTARCHUS de sui laude citra invidiam cap. 22.
- o) Idem de audiendis ab adolescente Poëtis cap. 54,
- p) DIOGENES LAËRTIUS L. VII. c. 1. n. 21 de parodia ZENONIS Cittie in versus HESIODI Ἔγγ. 291, 293. Eodem fere sensu, aut saltem de mutatione scripturæ sive parodica sive non parodica, hanc vocem adhibuit EUSTATHIUS ad Iliad. I. 400. Cfr. ALEXANDER POLITUS in nota ad suæ editionis EUSTATHIUM T. I. p. 501. n. 3.
- q) ATHENÆUS L. XIV. c. 21. SOPATRUM, quem alias Parodum nominat, Φλυαρογράφοι appellans.
- r) Idem L. I. c. 4.
- s) Idem L. XII. c. 1. ubi de illa Parodiæ specie intelligendum voluit Anonymus quidam (Neue Leipziger Literatur Zeitung 1806, St. 129), quam Galli vestis mutationem (*travestissement*) appellant, cujusque in sequentibus explicanda est natura. Etiam EUSTATHIO, cuius tamen locum invenire non licuit, familiare esse παραπομπεῖς pro παρωδίαις vocabulum monuit HENR. STEPHANUS in Parodiariū exemplis (1675, 2:o) p. 144.
- t) Ambabus hisce vocibus jungi a JULIANO Imperatore (in Cæsaribus) videoas τὸ παρωδεῖν, non quidem ut omnino ejusdem, nec diversi tamen, generis.

At falleretur, qui putaret in risu movendo omnem substitisse Parodorum operam. Accommodari in plura, atque ad alium & quemcunque fere sensum traduci, facile queunt verba aliorum sive loquentium sive scribentium tantum non omnia: quod etiam honoris causa fieri posse, & ad opinionem de re quadam disserentis, auctoritate gravi & in vulgus probata, firmandam, nec non ad excitandam, alendam, servandam egregie dictorum memoriam, non plane nihil valere, quis non conjiciat? Huc accedunt paratisima in multis hominum, quam vocant, idearum assoiciatio, & similitudinum dissimilitudinumque querendarum, cernendarum & persequendarum insitum vel innatum potius studium, nec levis ex recurrentibus inopinato, mutatis quidem & innovatis, sed dudum notis & remoto tenuioris texti velamine non ægre agnoscendis, voluptas: quæ omnia facile efficiunt, ut ludendi consilio miso vel in seria semet ingerat Parodici artificii libertas. Quo in genere abundantissimus EUSTATHIUS, non spreto quidem (u) sed feriato saepius risus jocique aut objurgationis aucupio, partim suo indulgens genio, partim prioribus forte,

nec

<sup>u)</sup> Sic ad Iliad. IV. 7 — 9, 26 sq. 34 — 36. V. 361 sq. 757 — 761, 877 — 879 partim Parodiis, partim nudis accommodationibus lusit laudatus Thesalonicensium Archiepiscopus: usus nonnunquam pro Parodiæ vocabulo aliis, ut τῷ παιζοντα παρασκεψιν ad Il. II. 424.

nec antiquissimis tamen, insistens vestigiis, ad morum præcepta, ad gnomas, ad precum verecundarum formulas, aliaque hujusmodi, Iliadis Homericæ versus bene multos aut neutiquam mutatos accommodavit aut leviori, sicuti opus suis est visum, mutatione deflexit (x): imitatorem recentiori ætate natus, quo non fidelior unquam alter, citatum supra HENRICUM STEPHANUM. Neque enim dispicebat prolatari aliquantum Parodicæ artis fines, & appellationis, ASCONII (y) iam tempore vacillantis & ad præsentaneas quasyvis, easque mordaciores, responsiones translatæ, non tam accurate determinari quam liberius exspatiari potestatem.

Definiri igitur cœpit *Parodia* per imitationem, quæ carmen poëtæ inversum, mutatis quibusdam vocibus,

x) Ad Iliad. I. 575. II. 234 — 236. III. 54 — 58. IV. 166 — 168, 362 sq. V. 32 — 34 (quorum primo in loco τὸ μεταγγυέν, in quinto τὸ μεταποίεύ videre sicet τῷ παρεδεῖν junctum), alibique stœpissime.

y) *Antiquum Nævii est: fato Metelli Roma fiunt Consules; cui tunc Metellus consul iratus versu responderat senario hypercatalepto, qui & Saturnius dicitur: dabunt malum Metelli Nævio poëtæ; de qua parodia subtiliter Cicero dixit (in Verrem Act. I. c. 10. l. 29): te non ex fato, ut ceteros ex nostra (leg. vestra) familiq. Q. ASCONII PEDIANI in Orationes M. TULLII CICERONIS Enarratt. Lutet. 1520 pag. LXV.*

\* \* \* \* \*

*bus, ad alium sensum retrahit* (z). At neque sic, si ad nonnullorum respexeris consuetudinem, satis lati constituti videntur Parodiæ limites. Nam ut taceamus, parodicam ab EUSTATHIO haberi non solum nudam Homerici versus, metro plus minus spoliati & sic cum soluta oratione coalescentis, assumptionem (a), sed & proverbiorum admisionem (b);

B

pote-

---

z) Poëticæ majoris Gieslenæ (anni 1657) pag. 192. Plenius tamen ad jocum & risum, quamvis non semper malignum, comparatam fuisse Parodiæ, ut ipse fateri necesse habuit HENR. STEPHANUS (l. c. p. 140), ad stipulantem sibi habens J. A. FABRICIUM Biblioth. Græc. Edit. Harl. Vol. I. p. 550: sic Parodiæ omni ludicrum faltem, si vel innocuum, consilium uno fere ore tribuunt SEALIGER Poëtices L. I. c. 42, HOME Elements of Criticism Ch. XII. Vol. II. p. 10. (Edit. Basil. 1795), SULZER Allgem. Theorie der schönen Künste voc. *Parodie*, PRIESTLEY Vorlesungen über Redekunst und Kritik p. 223 sq. ESCHENBURG Theorie und Literatur der schönen Redekünste p. 143, J. A. EBERHARD Handbuch der Ästhetik 2: r Theil p. m. 294 &c.

a) Exemplum tam latæ appellationis, dubius an rejiceret, repetit STEPHANUS libr. cit. p. 150 sq. Plura ipse præbet EUSTATHIUS passim. Neque tamen THUCYDIDES, qui miro saepe artificio Poëtarum versus ita orationi suæ infert, ut non poëtae, sed Thucydidis ipsius videatur oratio (VOSSII Instit. Orat. L. VI. p. 453), Parodis est annumerandus.

b) Sic ad Iliad. V. 137 videtur sibi parodiæ deprehendisse in ARISTOPHANIS Ranis v. 186.

poterit certe, frustra renitente propria verborum vi, ad ludibrandam profaicorum quoque operum imitationem, quamvis ex QUINTILIANI judicio (c) abusive, idem traduci Parodiæ nomen. Quo jure vix moderate fatis utentes alii, etiam Paronomasiæ s. Paragramma (d) i. e. levem singularis vocis, uno paucisve elementis additis, demtis, transpositis, permutatis, simulque insignem sententiæ mutationem: quæ figura, tametsi a copiosiori Parodico artificio haud respuatur, sola tamen Parodiæ constituere non bene dicitur. Non sunt igitur isti, in propriis maxime nominibus, contumeliosi lusus: *Crypsippus* (occultatus equitis statua) (e) vel *Chesippus* (faeculentus, impurissimis fôrdibus inquinatus) (f) pro *Chrysippo*, *Theoradus* (perculsus, quasi furore) (g) pro *Theomnaſto*, *Biberius Caldus Mero* (h) pro *Tiberio Claudio Nerone*, ceterique generis ejus-

c) Inſtit. Orat. L. IX. c. 2 f. 35.

d) CICERO Epist. ad Div. L. VII. ep. 32. *Annominationem* appellat Auctor Rhetor. ad Herennium L. IV. c. 21. f. 29.

e) DIOGENES LAËRTIUS L. VII. c. 7 n. 4.

f) CICERO de natura Deorum L. I. c. 34 f. 63.

g) Idem in Verrem L. IV. c. 66. f. 148.

h) SVETONIUS in vita Tiberii c. 42.

eiusdem, quamvis ipsa Parodia in omnibus omnino gentibus ac linguis & frequentiores & antiquiores, cum hac, cuius tamen primam quasi speciem indicasse & monstrasse videntur, confundendi.

Sed quoquo modo se habent illa, his omnibus exhausta nondum videbitur plena Parodiæ notio. Cum enim, quod assumere jam liceat, alia vix re differant seria & jocosa (qualis plerumque est parodia) imitatio, quam qua ironicus & proprius sermo: non ægre patet, esse in utroque consilio mentem dicentis vel scribentis præcipue spectandam. Quæ autem fuerit illa, plerumque non admodum difficile judicatur; nec obscurum manet, ne in majori quidem verborum dissimilitudine, imitandi studium. Est enim, præter verba, & aliud quid, in toto rei habitu magis quam in partibus positum, quod alieni exempli, & fere melius, prodat æmulationem. Ex universa nempe cogitandi & sentiendi ratione, ex ipsis stili charactere & forma, ex translucente quadantenus morum & nativæ indolis imagine, ex junctura, serie, peculiaribusque aut saltem maxime frequentatis cuique enuntiationum conformatiōnibus, inflexionibus & conclusionibus, bene perspectis & servatis, sponte exsurgit & in intelligentium lectorum oculos incurrit illa, quæ imitatione quæritur, similitudo. Nimis videtur facilis, quæ nimis manifesta, imitatio; eademque, si vel primo aspectu placuerit, brevi tantum amittit

pretii & honoris, quantum neglexit laboris & diligentiae. Non igitur opus fuit Celeberrimis LIDÉN, VON DALIN & KELLGREN, nostratisbus, illis quidem priscum Svecorum vatem, aut scurrilem potius, macaronici, quod vocant, generis versificatorem, SVENONEM BRYNGELII DALIUM, hoc vero (i) novum, immoderatoque sui amore rufus dantem, novae & genuinæ, si Camenis placet, poëseos auctorem, aliquando imitantibus, aut singulas studiose venari verborum & locutionum trias, aut, quod sibi proposuissent exemplar, digitis monstrare, ut nec indicare, Parodicum confilium se fuisse secutos, sed joci animique causa ita scripsisse.

Eo autem valent jam dicta, ut pateat nimis arctam esse Parodiæ definitionem, qua in paucorum tantum verborum immutationem illa concluditur. Servari quidem possunt multa imitandi auctoris verba, sed possunt etiam plura, imo plura, pro imitantis consilio, mutari (k). Monuerunt nempe,

---

i) Saltem quod ad metri genus, tum in aliis fere quam vapulante poëta insolitum; nam si operis sumam spes, Satiræ quam Parodiæ multo est propior.

k) Huc facit illa QUINTILIANI, L. VI. c. 3 s. 97, distinctionem *versuum verbis ex parte mutatis positorum & figurum notis similium*, quæ παρῳδία dicitur: ad quam rem apposite recentissimus Editor G. L. SPALDING in annotationibus: *In hoc (genere, parodiæ nempe) potest ne ullum quidem verbum remanere pristini versus.*

nempe, sollicitius rem expedientes & definientes, Celeberrimi ESCHENBURG (l) & MAASS (m) duplarem scripto cuidam, parodica arte, inferri posse mutationem: nimirum aut salvam manere subjectam rem principalem, mutatis verbis & cogitationibus secundariis, aut his manentibus, illam perire aliquae cedere locum; si hoc, Parodiam, *angustiori* quidem *& proprio sensu*, si illud, eam, quam vestis aut Personæ mutationem (*Travestissement*) (n) appellant recentiores, existere. Quod si jam cogitetur in scripto, alterutra imitationis forma exprimendo, a primo auctore id adhibitum fuisse curæ & diligen-  
tiae, ut æquæ idoneorum judicum postulationi ut-  
cunque satisfaciens dicta rebus aptaverit reddide-  
ritque quam maxime convenientia, turbari necesse  
erit atque subverti hunc rerum verborumque con-  
sensum, si sublatis, quæ argumento optime & ex-  
asse respondere visa fuerint, alia substituantur, aut

ni-

l) Loc. cit. Cfr. secundam operis editionem, quæ inscribi-  
tur: Entwurf einer Theorie und Literatur der schönen  
Wissenschaften p. 122.

m) Ueber das Parodiren und Travestiren, in Charaktere  
der vornehmsten Dichter aller Nationen - - von einer  
Gesellschaft von Gelehrten, 2:u Bandes 1:s Stück pag.  
41 — 44.

n) Compendii causa hanc *verborum*, illam *rerum*, Paro-  
diam, pace lectorum, nominabimus; *incondite fortasse*,  
*sed tamen ut res pos sit intelligi*.

pium aut nimis parum inculcantia. In gravi  
saltem materia, decente & quasi nativo vestitus  
lepore spoliata, & adscititiis, propterea que ineptis  
& turpibus, infucata ornamentis fieri nequaquam  
poterit, quin indignatio aut, qui frequentior & fere  
perpetuus esse solet verba mutantis Parodiae co-  
mes, risus subsequatur: quem tamen tantum abest  
ut metuat verborum Parodus, ut omni potius stu-  
dio captet. Sed neque aliud Parodi, qui proprie  
& angustius dicitur, communiter esse solet consi-  
lum. Cum enim rarius plane idem esse poslit  
noveæ materiæ color atque habitus, qui fuerat na-  
tivæ loco matæ, suumque hospiti non rogato cede-  
re mundum coactæ, non erit obscurum, in ipsa  
quoque rerum Parodia frequentem nasci risus oc-  
casionem: qui quidem ex animadverso harmoniæ &  
proportionis defectu sponte exoritur. At docet ta-  
men, præter Stephaniana plurima, vel unum illud  
a Celeb. MAASS allatum exemplum (o), non tan-  
tum

---

(o) *Mein Zweck auf Gottes schöner Erde  
ist nicht, darauf vergnügt zu seyn;  
Drun will ich, bis ich Asche werde,  
auf jenes Leben nur mich freun.*

In quo manifestam, cum sensus quidem inversione, sed  
verborum ad secundarias ideas pertinentium mutatione  
admodum levi, agnosces parodiam versus Hölyani;

*O wunderschön ist Gottes Erde,  
und werth darauf vergnügt zu seyn!*

tum tamque necessarium esse inter rerum parodiam & veritatem s. logicam s. moralem s. æstheticam divertium, ut in illam, quemadmodum in parodiam verborum, unum & indivisum esse posse risus imperium.

Hæc fere ille, quem in non paucis secessus Celeb. jam laudatus EBERHARD, ab eodem tamen neque minus deflexit. Totum enim utriusque Parodiæ discrimen ad Dramaticam maxime rationem accommodans, id putavit omnino eventurum, ut

*quicunque Deus, quicunque adhibebitur Heros,  
Regali conspectus in auro nuper & ostro,  
Migret in obscuras humili sermone tabernas;  
Aut, dum vitat humum, nubes & inania captet (p);*

remque sic omnem ad id, quod cogitationibus earumque signis inest, ludicum (*le burlesque*, ab Italia voce *burlare* h. e. ridere, cavillari) referens; a propria Parodiæ (*rerum*) notione serium omne consilium, consultone an oblivione? exclusit. Quia in re ut assensum omnium polliceri sibi vix poterit, ita neque in reliquis videtur, MAASSIO pleniū, singula rei capita exhaustisse. Mo-

---

*Drum will ich, bis ich Asche werde,  
mich dieser schönen Erde freun.*

p) HORATII de Art. Poët. v. 227 — 230.

Monere quidem jam nolumus, cogitari in Dramaticis etiam posse, ut mutatis quamvis personis, sed in eadem aut simili causa constitutis, aptari queant & convenienter dici quæ de aliis dicta prius fuerint; nam cogitari profecto facilius quam præstari id potest. Sed omisum aliquid a MASSIO est, idemque nec ab EBERHARDO ea qua oportuisset diligentia excusum. Is enim, tametsi & Allusionum, quas vocant, earumque eventus magnos & illustres aut gravia dicta ad res exiles & spretas, risus ciendi causa, accommodantium, utique meminit, easque ad rerum Parodiam jure retulit; tamen in angustum nimis locum hujusmodi compulit Parodias, aut præteriit potius aliam universi generis partem. Ut exemplo res clarius patescat, inter multa, hos attulisse conveniet FLORI versus;

*Ego nolo Cæsar esse,  
ambulare per Britannos,  
Scythicas pati pruinas;*

rescriptamque ad eosdem HADRIANI Imperatoris parodiam;

*Ego nolo Florus esse,  
ambulare per tabernas,  
latitare per popinas,  
culices pati rotundos (q);*

---

q) AELIUS SPARTIANUS in vita Hadriani cap. 46.

in qua & primariam & secundarias res ita mutatas invenies, ut parodico quamvis habitu manifeste induita, ad neutram Parodiæ formam possit commode referri. Nam in hoc sane mixto aut intermedio quasi genere neque eadem cogitatur res principalis, neque eadem novæ inductæ subjiciuntur verba rerumque imagines: sed res diversæ diversis itidem, at facie utcunque simili conspicuis, cuique seorsum propriis ornatæ appendicibus, rerum instar in productioni comparatione collatarum, junctim procurrunt, mutua & similitudine & diversitate ad delectandum fortiores. Quam igitur Parodiæ speciem & reliquis addere oportet; & *compositam* appellare, ut speramus, licebit.

Ex his jam omnibus, quid sibi velit totum Parodiæ genus, facilius intelligitur quam definitur. Est vero præterea etiam alia Parodiæ divisio, qua, ut Poësis universa (r), in *Epicam* & *Dramaticam* dispeicitur. Aut enim narratur & depingitur aliquid, aut agitur: unde etiam ad utrumque genus mature jam adhiberi coepit Parodia. — Facile tamen credas, nulla usquam apparere ante excultam Poësin, parodicae artis vestigia: quæ quidem in HOMERO, proprios versus passim imitante, & pro re nata variante, indagasse sibi visus, post EUSTA-

C THIUM

---

(r) ESCHENBURG, libr. cit. editionis ultimæ, pag. 87 sq.

THIUM (f), STEPHANUS (t), nihil attulit, quod ab aliorum quoque bene multorum vatum, & nominatim VIRGILII (u), consuetudine abhorreat. Sed quoquo modo se habent illa, perennes Homericæ venæ rivos (x) nequaquam vel Parodi neglexerunt.

f) Ad Iliad. V. 906.

t) Libr. cit. p. 131.

u) Inter exempla non facile nameranda conferas Georg. IV. 171 — 175 cum Æn. VIII. 449 — 453. Georg. IV. 479 cum Æn. VI. 438. Æn. I. 724 cum VII. 147. Æn. IV. 6 cum VII. 148. Æn. VIII. 596 cum XI. 875 &c. Quorum unum alterumque (cum multis præterea aliis) simul docet, eosdem plane versus nonnunquam fuisse a poëta in usum revocatos. Accedit manifesta pluribus in locis HOMERI aliorumque, ut ENNII (Æn. IX. 528, vid. QUINTILIAN. L. VI. c. 3 s. 86), imitatio, quæ tamen cum Parodia non multum habet commune.

x) Cf. ALEXANDER Ætolus apud ATHENÆUM L. XV. c. 17. Quare SALVINUS in notis ad EUSTATHIUM: *Observa Homeri dicta magnum orationi pondus adjicere: & iis, pro re nota, uti, gravitatis simul ac venustratis plenum videbatur. Illuminabaturque Homeri verbis, tanquam gemmis stellulisque, oratio. Resque etiam communes, & in medio postæ, si Homericō ore explicabantur, splendidiores gravioresque efficiebantur. Tantum apud antiquos Homeri valuit majestas atque auctoritas. Et alibi: Parodie Homericæ frequentes sunt apud auctores. Quippe Homeri versus memoriter, ad varia vitæ negotia, cum elegantia simul & vi, accommodabant, vid. EUSTATHIUS POLITI T. I. p. 382 T. II. p. 284.*

runt. De primo autem verarum Parodiarum auctore — ut de aliarum rerum, aut insignis necessitatis aut magnæ cum humana natura convenientiæ, inventoribus — summa est inter veteres dissensio. HEGEMONEM Thasium nominat ARISTOTELES (y) HIPPONACTEM Ephesium, Choliambi, ut fertur, repertorem (z), cognomine *Lentem* f. *Lenticulam* (Φακῆν), POLEMO apud ATHENÆUM (a), HIPYEM Rheginum SUIDAS (b), ARCHILOCHUM Parium, jamborum, saltem HORATIO (c) teste, auctorem, ESCHENBURG (d). Quam litem hodie dirimi posse, nulla spes adest. Horum tamen omnium cum antiquissimus sine dubio sit ARCHILOCHUS, &, præter sublestam, cum recentioris tum multis in locis interpolati, SUIDÆ auctoritatem, eodem fere,  
circa

y) Loco jam citato.

z) Sic, post CLEMENTEM Alexandrinum Στρωματ. L. I. plerique, etiam VOSSIUS, Instit. Poët. L. III. c. 18 §. 3, qui tamen alibi (de Historicis Græcis p. 442) præeunte SUIDA, hanc inventionem HIPYI attribuit.

a) L. XV. c. 16.

b) In Lexico, voce Ἰπύς.

c) Epist. I. 19 v. 23 — 25. Art. Poët. v. 79.

d) Libr. cit. p. 144. Cfr. de Archilochi μέλει sive hymno, qui ad multos poterat accommodari & cithara canebatur, ERASMUS ROTERODAMUS in Adagiis.

circa 60:mam ambo Olympiadem, tempore vixerint HIPPONAX & HIPYS, de HEGEMONE autem idem narret ATHENÆUS, eum primum in theatri scena de parodiis certasse, viciisque & aliis & Gigantomachia: non erit absconum, prima Parodiæ, & quidem Lyricæ, initia vindicasse ARCHILOCHO, tum HEGEMONI Dramaticam, tandemque HIPPONACTI Epicam, ut primis artis auctoribus, adjudicasse; nisi forte in Batrachomyomachia & Margite, Homericis, ut vulgo putant, scriptis, prima rei rudimenta velis agnoscere.

